# RELATIO TRIPLEX DE REBUS INDICIS: 1. R.P. CORNELIJ BEUDINIJ, ...

Adriaen Lommelin, Nicolàs Du Toict, ...




NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
29
29





# RELATIO TRIPLEX
# DE REBVS INDICIS:

I R. P. Cornelij Beudinij, dicti Godinez, martyrium.

II Caaiguarum gentis mores, cœpta conuersio.

III R. P. Adriani Knudde, dicti Crespi, Elogium.






ANTVERPIÆ
Apud IACOBVM MEVRSIVM
AN. CIↃ IↃCLIV.

# LECTORI



*Abes hic,* PIE LECTOR, *vno in libello tria opuscula, quæ singula non sine spirituali voluptate legas; quippe ad inflammandum studio Diuini honoris amplificandi, curandæq; alienæ salutis, animum, ac simul sensu dulcissimæ pietatis perfundendum, accommodata.*

*Primum est, vita ac martyrium* R. P. Cornelij Beudinij, *dicti apud Hispanos & in Indiis,* Godinez. *Hic è Societatis* IESV *prouinciâ Flandro-belgicâ in Occidentalem Indiam missus, breui ad zeli sui brauium, coronamq; martyrij peruenit, apud Tarau-mares Nouæ Cantabriæ populos, die* IV *Iunij anno* CIↃ IↃCL.

*Alterum libelli huius opusculum est Relatio de Caaiguarum gentis situ, moribus, cœptâ institutione ac conuersione, ex litteris, quas* R. P. Nicolaus du Toict, del Techo *dictus, Insu-*



*lensis,*

*lensis, è prouinciâ Gallobelgicâ Societatis* IESV *in Paraquariam ante plures annos missus, in Belgium scripsit anno* CIↃIↃCLI *ex Residentiâ* S. MARIÆ *Maioris ad Vruaicam fluuium.*

*Tertium denique est Elogium* R: P. Adriani Knudde, *dicti* Crespi, *Brugensis è prouinciâ Flandrobelgicâ Societatis* IESV *in eamdem Paraquariam missi: vbi cùm multos annos aßiduè in Barbarorum institutione desudasset, tandem sanctis laboribus* XXV *Februarij, anno* CIↃIↃCLI *immortuus, ad eorum præmia euolauit in cælos.*

*Tria Te vicissim rogo,* LECTOR: *I, vt horum pugilum certaminibus ita applaudas, vt Deo, cui laborant, cuiusq́ue gratiâ excitantur ac roborantur, gratias agas. II, Vt eorum, qui tales operarios litteris & virtute informant, & in illam Domini vineam mittunt, consiliis ne intercedas, sed potiùs quâ potes ope subsidioq́ue iuues. III, vt pro miserorum illorum, qui adhuc in tenebris & vmbrâ mortis sedent,*


*dent, ſalute Deum preceris, vt plures in hortentem illam vineam idoneos operarios immittat, ſuâque gratiâ eorum promoueat conatus. Vale.*






R.P. CORNELIVS BEVDIN *dictus* GODINEZ,
*Belga Grauelinganus, è Societate* IESV,
*in America à Barbaris ex odio fidei*
*interfectus* 4 *Junij*. 1650.

# ELOGIVM R.P. CORNELII BEVDIN, DICTI GODINEZ, GRAVELINGANI BELGÆ E SOCIETATE IESV, IN MEXICANA PROVINCIA à barbaris in odium fidei interfecti Anno CIↃIↃCL, IV Iunij.



Vit illa Societatis nostræ à primo eius exortu mens ac studium, vt quidquid vspiam terrarũ postremis hisce temporibus patefecit Regum labor, Christianis institutis excolendum susciperet. Neque verò vtiles ac tantis muneribus pares operas ad id sollicitè conquirere, aut instigare debuit. Quoties enim, ad vtramque Indiam mittenda fuêre subsidia, ingens illicò profectionem illam vltro ac certatim sibi deposcentium multitudo delectum moderatoribus dubium fecit. Quod qui perpenderit, pariterque in incommoda & pericula, quæ expeditiones

illæ secum trahunt, intenderit animum, non poterit non diuinæ gratiæ magnitudinem & vim admirari atque extollere, quæ tam viuidum tamque aduersùs dura omnia paratum ardorem suis iniciat. Quòd si verò labores illos gloriosæ mortis genus excipiat, tum sanè vel maximas Deo referre par est gratias, & rei seriem, quoniam exempli interest, litteris prodere. Eâ de caussâ R. P. Cornelij Godinij, vel, vt paternum ei erat nomen, Beudinij virtutes mortemque paucis complecti visum fuit: qui quam in Mexicanâ Prouinciâ Crucem, velut religionis trophæum præ templi foribus erexerat, suo ipse sanguine conspersit, ac ne mortis caussa vlli obscura esset, in eiusdem triumphalis signi complexu à barbaris laqueo astrictus vitam posuit.

Anno CIƆIƆCXV Grauelingæ, munitissimo Flandriæ aduersùs finitimos Gallos oppido, natus, luculentam indolis ad omnem honestatem propensæ significationem adhuc puer dedit. Oblectatio non aliunde illi maior, quam è pietatis exercitationibus, quibus illa tum ætas capi poterat. Singularis in Dei matrem amor, quæ in teneris præsertim animis suauis ac potens esse solet virtutum omnium illecebra, animum illius iam tum penitùs occupauerat. Ad eius arulam domi à se excitatam Litanias Lauretanas,
quòd

quòd canendi artem rectè calleret, domesticis sabbato præcinere solennis illi mos fuit. Bergis S. Winoci cùm litteris operam daret, præterquàm quòd inter æquales plerumque primas ferret, & laudem ab honore Magistris delato obsequendiq́ue studio planè singularem mereretur, tum præcipuè gratiam illi & commendationem peperit verecundia, &, quæ illam comitari solet, pudicitia. Hanc oculi, vultus, sermo, & ad omnem modestiam compositi mores præferebant. Quæ ne maligno aliquo afflatu inficeretur, si quibus remissionem animi dissolutiorem esse animaduerteret, ab eorum consuetudine se subducebat. A fæminis ita abhorrebat eius animus, vt cum brutis potiùs, quàm cum illis, habitare se malle, ioco planè serio dicere esset solitus. Ex omni scholasticorum numero, qui sacram synaxin religiosiùs frequentiusq́ue adiret, nemo erat. In sodalitate Partheniâ, siue publico in eâ munere fungeretur, siue aliâ ratione testandus esset Virginis cultus, nihil non egregiè & constanter præstabat. Ex illo tam lætè sese efferentis adolescentiæ flore, quas esset ætas maturior virtutum fruges datura, non difficilis esse potuit diuinatio. Confecto studiorum humaniorum curriculo, Societatem nostram, ad quam diuinitus se impelli credebat, summis votis expetiit,

petiit. Verùm cùm Mechliniæ in ipso Collegio censuissent nostri, ludum elementariis pueris ob caussas aperiendum esse, è quo deinde ad Latinæ linguæ rudimenta gradum facerent; Cornelius priùs in hoc ludo Magister tirocinij genus quoddam iussus est ponere, quàm ad societatem aditum reperiret, siue quòd non alius facilè è candidatorum numero esset, qui venustiùs litteras pingeret, siue vt hoc experimento eius probata constantia pateret illustriùs. Iucundum memoratu est, quâ ille alacritate, quâ industriâ atque prudentiâ illam paruulorum turbam instrueret, & in officio contineret. Eo igitur munere grauiter functus Societatem iniit anno CIↃIↃCXXXV, I Martij: & vt fluuiorum, quorum cursus paulisper inhibuerunt iniecta repagula, iisdem laxatis vehementior est impetus, ita Cornelio admissionis illa prorogatio visa est vim vigoremque ad religiosæ vitæ studium addere. Argumento id sit, quòd inter tirones, quorum incitati erant ad pietatem spiritus, si non præferri ceteris, certè nulli postponi meruerit. Inde Louanium ad Philosophiam audiendam se contulit, neque contentionem pristinam non remisit tantùm, sed intendit potiùs, virtuti æquè ac doctrinæ comparandæ intentus animus. Mechliniam postmodùm, vt humaniores litte-
ras

ras iuuentuti traderet, remissus, plurimùm sibi fuit hanc gratulatus sedem, quòd istic quotidie inspicere tamquàm in speculum in tironum vitas, ex iisque sumere sibi exemplum posset. Ita plerumque auidiùs solent laudanda in aliis imitari velle, quorum ad imitationem & alij possint cum laude viuere. Disciplinæ quippe religiosæ vsque eò semper retinens fuit, vt qui in eius dicta factaque obseruatè introspexerunt, nullam ab eo instituti legem violatam animaduerterint. Precandi studium præcipuum semper habuit: neque si quid fortè aut moræ aut impedimenti interuenisset, conquiescere poterat, nisi plenè cumulatèque Deo & sibi fecisset satis. Crebra & ab intimis profecta sensibus erga sacrosanctam Eucharistiam veneratio magnas illi subiiciebat ad amorem diuinum inflammandum faces. Manè & vesperi, à prandio itidem & cœnâ, ante relaxationem animi, & mox ab illâ, septiesque per diem, dum Theologiæ auditor esset Louanij, diuinis hisce mysteriis reuerentiam præstitum ibat. Quoties illa perceperat, suauia cum Deo in longum protrahebat alloquia, ex eiusque vultu animum diuina spirantem, gaudiisque cælo haustis delibutum, nulli non deprehendere procliue erat. Tertiò studiorum anno sacerdotio vt initiari posset, obtinuit, satis
prudens

prudens tantum pietati additum iri, quantum studiis detraheretur, vberrimorum accessione meritorum. Hæc diuinarum rerum sedula tractatio, ex iisque delibata suauitas impensiorem ei iniecit curam, ne quid admitteret, quod votis Deo factis non maximè consentaneum esset. Amorem cultumque paupertatis non leuibus indiciis prodidit. Quorum illi vsus erat ad vestitum necessarius, eò cariora sibi esse ostendebat, quò obsoletiora essent. Frequenter admodùm se in triclinio accusabat, & vili ac detritâ lineâ in veste procedebat, scutellam ligneam manibus præferens, quâ cibum potumque exciperet, pauperum, quà licuit, æmulatus morem. Hinc illa profluxit in egenos ac pannosos beneuolentia, eorumque non infrequens, & affabilis, officiisque etiam testata congressio. Magnâ industriâ, magnâ omnium approbatione Louanij doctrinam Christianam pauperibus exposuit; atque illis præmiorum loco vestes anno vertente distribuit, corrogatâ ab iis stipe, quibus pecuniæ tam bonâ caussâ impensæ fructus voluptati erat. Mechliniæ annis pluribus Musicæ, quæ in templo nostro Dominicis ac festis diebus haberi consueuit, curam gessit expensis omnino modicis, paupertatis scilicet votæ semper memor. Mususcula, quæ Musicis honestioribus post anni

anni vnius obſequium erogabat, parua cùm eſſent, maiora faciebat bonus paupertatem religioſam excuſantis vultus: egentioribus, cùm omnium ſimul operâ vti non poſſet, ne nulli deeſſet, per vices tempora aſſignabat ſua. In Indiam abiturus noſtrorum vni, quicum familiariter vixerat, quidpiam ab eo flagitanti, quod eius tanto locorum interuallo abſentis memoriam ſubinde redintegraret, ipſe qui elegantium & exquiſitarum rerum inops ſemper fuerat, nihil præter icunculam dedit, qualis in menſtruis ſuffragiis cuique ſolet ſortitò obtingere: eiuſque tergo nomen ſuum inſcripſit, id viciſſim ab optimo ſodale poſtulans, vt itinerum ſuorum laborumque, quos optabat, ſucceſſus orando proueheret. Caſtum integrumque eius animum ex iis, quæ ſuprà memorauimus, pronum eſt intelligere. Primi enim illi virtutum ſatus, ſi cura & quaſi diligentis coloni manus acceſſerit, ſolent radices mittere altiùs, & iucundiùs efflorefcere. Atque adeò qui iam inde vſque à puero quadam naturæ inductione ab omni impuritate abhorruiſſe viſus fuit, non multò magis eamdem voti religione execrandam duxerit. Qui res eius omnes diuturno vſu cognitas & exploratas habuit, primæuæ integritatis atque innocentiæ non dubia in eo ſigna comperit. Cùm adoleſcentes informa-

ret litteris, si quid leuius ab iis dicto factoue commissum animaduerteret, quantulumcumque id erat culpæ, magna illicò vultus sermonisque grauitate redarguebat, non ignarus, quàm de facili licentia, siqua iuuentuti permittitur, in maius malum euadat. Neque castimoniæ tuendæ præsidia negligebat. Corpus asperitatibus atterere, in culinâ ollas ac lances abstergere, coquo, cùm vacatio esset à studiis, operam præstare, familiare illi erat. Minùs commodè valenti tametsi deesset interdum aliquid, nihil sibi deesse querebatur, eorum esse hanc querelam reputans, qui sibi cari sunt. Ex Præsidum suorum voluntate ita aptam semper atque suspensam habebat suam, vt quidquid statuerent, non hominum, sed Dei iussa esse crederet. Quidam è nostris ad docendas litteras primùm admotus, supremæ classi Grammatices præficiebatur, ipse infimæ: nec id quibusdam probabatur, siue quòd temporis ab ipso elementariis pueris informandis anteà impensi rationem aliquam habendam putarent, siue aliis de caussis. Ille compositâ, vt erat semper, mente; Quid est, inquit, quòd illud moderatorum decretum minùs vobis placet? si quid inde proueniret molestiæ, in me illud omne redundaret: at ego, cui infixum penitùs animo est, à Deo profluere, quidquid illi statue-

ſtatuerint, illorum perinde voluntati, ac diuinæ acquieſco. Neque ſegniùs quàm dixerat fecit. Conſequentibus enim annis quidquid Magiſtro illi gratum & commodum fore intelligebat, præcipuâ quadam curâ diligentiâque complexus fuit, ac præſtitit.

Atque hactenùs domeſticâ tantùm & vmbratili proluſione exercitata eſt Cornelij virtus: educenda nunc eſt in ſolem ac puluerem, in legitimum plenumque certamen. Excubabat in omnes occaſiones, quibus ſe pro Dei gloriâ, & alienæ ſalutis procuratione deuoueret, cùm ecce commodè accidit, vt in Occidentis Indiâ ſuppetiæ peterentur. Vt his accenſeretur, eò diligentiùs inſtitit, quò anguſtior erat mittendorum numerus. Capita erant vniuerſim quindecim: Sacerdotes ex Hiſpaniâ quatuor, è Gallo-Belgicâ totidem, totidem è noſtrâ Prouinciâ, præter tironem è Burgundiâ vnicum, & qui copiolas has deduceret, Indiæ Procuratorem cum ſocio. Igitur voti compos non aliud verſabat animo, quàm quod ad aſpera & extrema quæque ſubeunda pectus armaret: recurſabat aſſiduè I E S V inexplebilis amor, animarum pretium, expeditionis aggrediendæ dignitas: hæc ſcriptæ ab eo litteræ, hæc priuata colloquia referebant. Neque non videri poſſit iniecta illi diuinitus præſagitio, quam familiariter de morte ſuâ

ſæpius

sæpius prodidit. Ostendâ in Hispaniam vela facturus, cum Bergis S. Winoci paulisper subsisteret, & scholastici interim pastoritio dramate felicia illi ac fortunata omnia precarentur, beneuolis adolescentium studiis animisque recreatus, maximoperè ad extremum eos rogauit, curæ haberent Deum pro se precari. Ad labores enim se pergere pastoritios illos quidem, sed periculis magnis circumsessos. Oues esse illic non ita mansuetas, atque ipsi essent: infestos potiùs & cruoris sitientes lupos circumcursare: ire itaque se, vt Deo istic, Deo immolaretur. Non absimile quiddam Sacerdoti Musicæ artis gnaro innuit. Dolebat hoc bono Sacerdoti, vt quisque artem ferè æstimat, in quâ præstat, P. Cornelium Musicæ peritiâ planè excellentem, in terras toto à nobis orbe diuisas ac barbaras euocari. At nos, inquiebat, hic inter barbaros, inter vitæ discrimina & tormenta sublimiore voce cantuque modulabimur aliquid, quod Cælestium choros capiat. Diuinitus id ipsum cognouisse creditur mulier claræ ob sanctimoniam famæ, quæ discedenti benè precata, non dubiâ martyrij subeundi spe impleuit Cornelij animum: iret proinde alacer: prosperè cessuram profectionem: adfuturum arduis consiliis & periculis Deum: labores gloriosâ apud Indos morte termi-

natum

natum iri. Anno CIↃIↃCXLVII XIII Iulij, Gadibus in Indiam ſoluit, cum aliis, vti dictum eſt, è Societate noſtrâ quatuordecim, claſſe tredecim nauium vectus. Nauigationis tædium ſubleuabat nonnumquàm fidium vociſque concentu. Accedebat magna ingenij ſuauitas, & integritas morum, quæ illum omnibus, & Hiſpanis in primis, gratum reddidit. Neque erat fructus expers feſtiua & virtutis quadam maturitate temperata agendi ratio. Inducebantur illâ deliniti vectores, vt peccata apud eum expiarent, eiuſque conſiliis monitiſque ſe permitterent, cuius benignitatem amabant, reuerebantur prudentiam. Subtriſtior viſus eſt eſſe, cùm in Belgio degeret: ſed vnà cum cælo indolem mutaſſe diceres, aut Deum potiùs eius vultum vnxiſſe oleo lætitiæ, vt quem ad martyrij palmam delegerat, ad ardua certamina non æquo tantùm paratoque animo, ſed etiam gaudenti deduceret. Quid enim aſperum putet, qui cæleſtis triumphi prælibatâ dulcedine diffundi ſibi pectus ſentiat? Porrò nauigationis hic curſus fuit. Secundo vſa vento claſſis inſulas Fortunatas ſeptimo die, decimoquarto promontorium Viride prætervecta, curſum vſque ad Kal. Auguſti conſtantem ſemper tenuit. Tum non niſi clarâ luce vela faciens, ne fortè in ſcopulos aut paruas

insulas per tenebras impingeret, noctu in anchoris stetit. Vigesimo Augusti insulam (Baialaquiada ei est nomen) amœnam ac fertilem attigit, Hispanis habitatam, vbi nostri prima Americæ impressêre vestigia, dum interim nautæ dulcem aquam, & annonam in naues conuehunt. Inde digressis incommodarunt vehementer omnibus post dierum aliquot nauigationem calores maximi, nullo ad occiduum ferè temperati vento: vnde & importata nuper aqua graue olere, & scatere vermibus caro etiam recens cœpit. In hac malaciâ iucundum spectaculum piscatus dedit. Pisces prægrandes, quos Taburones vocant, præter alios formâ & colore peregrinos, capti: pisciculi quoque turmatim extra aquam latis longisque pinnis instructi volitabant, qui quòd eos Taburones persequerentur facilè centeni & plures repentè vnà exsiliebant aquis, ferebanturque per aëra pernicitate tantâ, quantâ nec aues pennis. Post hæc cùm spirante iterum vento proueherentur, quæ rerum est inconstantia, mutatâ derepentè cæli facie, cœperunt aduersi ab Occidente spirare valentissimè venti, mare intumescere, dispergi classis, præsentis exitij metu consternari etiam nautarum animi. Nauis porticus, in quâ tres è nostris considebant, concussa ac penè sublata est: dissiliêre tigna, immanes

nes ferrei vectes curuati ruptique, tanto fragore, vt qui in inferiore nauis parte attoniti pallentesque trepidabant, procellarum vi nostros vnà cum porticu in præceps datos abreptosque fluctibus crederent. Aliâ in naui cum ingruentium aquarum vim egerere se posse diffiderent, mors omnibus ante oculos versabatur, ad eamque sese expiatis confessione animis componebant. Tenuit illa tempestas dies ferè sex, cùm iterum lenior aspirauit ventus, qui in sinum Mexicanum, ac deinde in portum Veræ Crucis pridie S. Matthæi nostros incolumes valentesque perduxit, die, postquàm Gaditano portu exierant, primo & septuagesimo. Mira hîc Patrum nostrorum, qui oppidum Veræ Crucis incolunt, in Europæos & inexspectatos hospites fuit beneuolentia, & caritas. Lætitiam auxit, quòd viderent nostri Deo singulariter curæ se fuisse. Triduo quippe postquàm appulerant, fæda rursum & atrox coorta tempestas, quæ classis partem reliquam seriùs aduentantem miserabiliter excepit. Vna in portu nauis demersa, altera nostris aspectantibus vado illisa, fluctibus altera in incertum acta nusquam comparuit. Tabulæ posteà nostris dum per oram maritimam mulo inuecti Mexicum petebant, conspectæ in littore, felicitatis suæ ex alieno naufragio triste monumen-

tum. In Mexicano itinere altiſſimarum rupium, ac niuibus etiam ſub zonâ torridâ perpetuis conſperſârum horrenda præcipitia, & pariter amœniſſimus peregrinarum arborum, pecorum & pſittacorum conſpectus adferebat proficiſcentibus aliquid, quod terrori ſimul, & voluptati eſſet. Cuſtodum interim Angelorum non rarò imploratum auxilium, actæque illis gratiæ, qui mulorum veſtigia per viarum prærupta & rapaciſſimorum fluminum curſus inoffenſa regerent. Angelopolis petebatur, adeóque tam benè ominatum ciuitatis nomen memoriam ad id excitare noſtrorum potuit. Collegij Angelopolitani Rector ad ſedecim leucas obuiàm noſtris proceſſit: in quo neſcias prolixumne magis iter, an animum mireris. Cùm hîc ad octiduum ſubſtitiſſent Patres, & vires animoſque ex maris nauſeâ recreaſſent, Mexicum profecti, R.P. Prouincialem Petrum de Velaſco, nouæ Hiſpaniæ Prioregibus editum, ac virtute illuſtriorem virum, cum R.P. Rectore, aliiſque Mexicani Collegij Patribus, ad tres leucas obuium amplexati ſunt. In vrbe Comes de Saluatierra nouæ Hiſpaniæ Prorex, iamque Peruano præficiendus regno, aduentum noſtris gratulatum venit, eâ ipsâ horâ, quâ Collegio pedem intulerant. Biduo poſt idem ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo

po Ioanne de Mangeſca factum, inſigni amoris, quo Societatem noſtram vterque complectitur, teſtificatione. Superuacuum hîc ſit commemorare Mexicanorum Patrum effuſam maximiſque officiis ac ſtudiis hoſpitibus patefactam beneuolentiam. Admirabilem potiùs perſequar Cornelij nihil præter barbarorum ſalutem anhelantis cupiditatem, quam obſtacula, tametſi ſub initium multa obiicerentur, retardare nulla potuerunt. Primùm enim Mexicani noſtri, quorum oculos in ſe conuerterat, detinere apud ſe nitebantur optimum & ad omnia accommodatum Patrem. Inde cùm ad Tepozutlanum Collegium, vbi celebre eſt ſeminarium, diuertiſſet, à quibuſdam multa in medium allata, ne in barbarorum fines ſe immitteret. Inſuper Burgundus quidam Pater, qui indigenarum ſalutem vtiliter alio in loco procurabat, eum vehementer obteſtari cœpit, operam ſecum eodem conferret. Sed Cornelio perſuaderi nihil potuit, iniectæque fruſtrà moræ, vrgente maiore vi Numinis. Itaque ardens animi nihil niſi labores ſudoreſque affectabat, quos ipſa, ſi Deo placeret, martyrij laurea ſolaretur. Indecorem ſe fore credebat, vt ipſe ſæpè loquebatur, ſi tantam terrarum & Oceani interfuſi vaſtitatem emenſus, iiſdem ferè, quibus patrio in ſolo diſtinendus fuerat, ſe implicari

implicari permitteret. Vinculis, quæ iniicie-bantur, solutus ac liber, iussus primùm fuit ad Neophytos doctrinâ Christianâ recens instructos curam conuertere, & in partem laborum venire, quos sustinebat P. Viglius Maes, Flander, vir spiritus planè Apostolici, & puritatem Angelorum suâ æmulantis. Verùm neque his finibus contineri potuit Cornelij ardor. Parta quidem tueri gloriosum esse ducebat; sed noua partis adiungere, vti periculi, ita & gloriæ plus habere. Per inculta & aspera, quà nulla adhuc esset via, quà efferata barbaries densis superstitionum vepretis siluesceret, latum optabat patentemque limitem aperire. Pericula sibi non timorem, sed calcar addere, recursante identidem sanguinis pro Christo effundendi spe, animosque faciente. Moderatorum igitur approbatione nouæ excursionis Christianæque coloniæ fundamenta apud Taraumares iecit. Neque principiis opportunitas, diuino oblata consilio, defuit. Nouæ Cantabriæ Gubernator è montium siluarumque latibulis ingentem eduxerat barbarorum turbam, ab eisque oram fluminis Pagigochi insideri iusserat. Redigebantur paulatim in pagorum formam mapalia, ad aliquam socialis vitæ speciem coalescentia, & pariter copiosa offerebatur laborum materies in tantâ tamque rudi multitudine

Chri-

Christianis præceptis informandâ. Societatis nostræ operam hac in re implorauit Gubernator: ac prouinciam hanc sibi velut diuinitus oblatam, & à moderatoribus impositam arripiens Cornelius, incredibili alacritate animi, indefessoque studio ad eam sese comparauit. Tribus non ampliùs mensibus barbarorum linguam non perdidicit tantùm, sed, vt secuturis quoque prodesset, eorumque in discendo leuaret laborem, elementariis etiam præceptiunculis ac formulis illustrauit, & copiam varietatemque verborum, litterarum digestam ordine, in commentarium retulit, & ipse in Societatis nostræ bibliothecâ inter scriptores recensendus. Facere non possum, quin vtar hîc ipsius verbis, quæ in litteris suâ ipse manu scripsit 7 Nouemb. 1647. Quarum breuitatem dum excusat; Pluribus, inquit, scriberem, nisi me cura discendarum linguarum auocaret. Nam in Mexicanâ, deinde in Cynaloanâ, & aliis insudandum, vt me Euangelij ministrũ idoneum exhibeam. Quę cura non tantùm mihi non molesta, sed etiam pro Iesv meo dulcis, dum occurrit vel vnica cogitatio fructus, quem hic feret labor. Ita ille de suo linguarum studio; quarum iam peritus, velut accinctus instructusque armis miles, Euangelij explicare signa per Taraumares cœpit. Erudiebat populum legum

omnium & Dei ipsius ignarum: nunc puerorum, nunc grandium natu cogebat cœtus, & vtrosque in Christi verba adigebat: nunc infantes, nunc mysteriis nostris instructos lustralibus initiabat sacris. Laborum suorum lectas primitias ad templum ductabat: sacrificiis, quibus Deum ipsis propitiaret, iubebat reuerenter interesse. Iungebat Christiano ritu connubia: percurrebat pagos, subibat casas: ad honestæ vitæ capessendam retinendamque formam aliquam amicè & comiter singulos hortabatur: denique ne quid prætermitteret, interdum sacra carmina non illis profectò terris priùs audita, virginibus ac pueris præibat, impulsisque fidibus aurium delectationi seruiebat, vt animos caperet. Iamque feliciter satis res procedebat, poterantque illa è stipitibus ac longuriis temerè & sine arte facta mapalia in cæli municipia conuerti. Stabat & horum progressuum inuectæque religionis clarum monumentum ante templi vestibulum Crux, ipsius Cornelij manibus defixa, post etiam sanguine eiusdem imbuenda. Verùm vt est inexpiabile dæmonis in Deum hominesque odium, nec aliquid vnquam, quoad potest, diu crescere & assurgere patitur, eius instinctu, & Taraumarensium aliquot perfidiâ, vt sunt ingenio mobili & ad subita consilia præcipi-

tes

tes barbari, rerum benè cœptarum interruptus est cursus. Institutioni à Patre acceptæ renuntiant, sedibus emigrant, pristina latibula repetunt, defectionis ansam sibi dari mendaciter questi, quòd Hispani suos iniuriosè tractarent. Adsunt vnà cum aliarum nationum colluuie, quam in partes traxerāt, sagittis instructi armatique. In Hispanos ferociter irruunt: multos fortunis, vitâ non paucos exuunt. Parui esse momenti credita est hæc primùm irruptio, sponte desitura, torrentium more, qui posteaquàm pluuiis aut solutis niuibus intumuêre, subsidunt. Sed inanem hanc opinionem ac spem fuisse declarauit euentus. Effrænatus namque ille & præceps furor, rapinis populationibusque factus incitatior, vires acquirebat in dies. Cornelius interim nihil sibi, reliquo tantùm & adhuc tenello gregi metuens, stationem tuebatur, & excubabat assiduè, ne, si pastore destitueretur, per auia & inuia palabundus erraret. Admonebant illum quidem nostri, medio sese ex hoste reciperet: experiendam non esse armatam transfugarum insaniam, nihil æquitati, nihil notitiæ veteri beneficiisque testatæ, nihil inermi innocentiæ daturam. Tutum etiam è vicino vrbis præsidio offerebat commeatum Didacus de Lara vrbis Præfectus. Sed pericula periculis componens, illud quod desertæ disper-

dispersæque adirent animæ, anteponebat suo. Tandem anno CIↃIↃCL, IV Iunij, ipso Pentecostes peruigilio, die quo Apostolorum quispiam spiritum Numinis plenum optaret pro Christo effundere, dato immani vociferatione signo, repentè sub noctem, Cornelij tugurium inuadunt barbari. In eo vnà cum Patre sese subduxerant Indi aliquot susceptæ religionis tenaces, & Hispanus miles vnicus. Is Fabianus Vasquez appellabatur, qui tametsi perpetuò in omnes casus comitaretur Patrem, in hoc tamen supremo discrimine vim vi repellere vetitus, fortiter potiùs iussus est, si ita res ferret, hostem & mortem opperiri. Illi tugurium dum obseratis ianuis munitum obseruant, subiectis flammis incendunt, quibus alimenta præbebant stipites & cannæ, pauperis substructionis materies. Inuoluebatur primùm denso fumo, ac deinde crepitantibus flammis æstuabat casa: adeoque foras prodire compellebantur, quotquot in eâ delitescebant; & prosilierunt ante alios indigenæ. Verùm dum mortis genus vnum euadunt, alterum incurrunt, & flammis erepti, coniuratorum perfossi telis concidunt. Triste spectaculum Cornelio mox insequenti obiicitur, iacentes ante ipsa casæ suæ limina cruenti & exanimes carissimi atque amantissimi, quos Christo genuerat, filij, periculorum,

lorum, &, quod illi erat potiùs, religionis & constantiæ in adeundo martyrio socij. At quasi ab ipsâ tectorum deflagratione, & innocentium cædibus increuisset incendiariis & homicidis furor ac rabies, horrendum rursus vario dissensu ingeminantes clamorem, cateruatim in Cornelium irruunt. Probris primùm & conuiciis explent animum, quæ capitalis scilicet odij & designatæ cædis caussas aperirent. Malorum quæ paterentur culpam præcipuè in Patrem conferunt: hunc Hispanos fouere, hunc sacris eorum præesse, hunc religionis obtentu incolas à reliquorum cœtu seuocare, perfidum ac proditorem esse. Nec mora: funem collo eius iniiciunt, humo affligunt, contundunt verberibus, ad sacellum raptant, eâ atrocitate ac violentiâ, vt capite ad terram identidem alliso, remanerent sanguinis per viam sparsi vestigia. Ab aris iterum ad cœmiterium facta decursio: atque illic ad sacrosanctam Christi Crucem prosternitur strenuus miles, qui hoc militiæ suæ signum in ipso sacelli aditu, velut castrorum suorum vallo, defixerat. Tum fauces retorto fune ita validè intercludunt, vt sanguinem collo expresserint, qui laqueum imbuit. Mox Indicam clauam graui & ingeminato ictu in caput adigunt. Neque hîc stetit furor. Sagittis quoque exanimem transfigunt, vt è

Cruce

Cruce, cui adhæſerat, celeriùs in cælum euolaret liber ſpiritus. Atque ita potitus voto ſuo Cornelius, quod verbis toties animoq́ue prodiderat, generoſam inuictamq́ue animam Deo reddidit, procumbens ad dexterum Crucis latus, ſignum hoc antè diu multumq́ue amplexus, ſanctiore quàm ex veteris militiæ ritu Romani ſigna & aquilas mediâ etiam in morte complectebantur, hæc ſacra ſua, hos dicti ſacramenti teſtes, hos vnicos bellorum Deos ſuperſtitiosè nuncupantes. Exſtinctum corpus veſte barbari ſpoliarunt: inde ad prædam verſi, quidquid ſupellectilis, quamquàm curtæ ac tenuis, in eius casâ repertum fuit, ſecum aſportarunt. E ſacello direptæ imagines ſacræ, & ſacrorum paratus. Per ludibrium malis artibus ac veneficiis infamis nebulo ſacram veſtem ac pallium, quo Pater rem diuinam peregerat, induit, vt credo in patratæ cædis accerſitum argumentum duceret religionis cauſſam. Et iam fama tanti ſceleris vicina loca compleuerat, eâque excitus militum Hiſpanorum ductor, qui villam de Aguilar præſidio tenebat, frequenti equitatu Pagigochim properat, barbaris interim fugâ elapſis, & intra montium acceſſus & latebras aduolutis ſaxis aduersùs hoſtilem incurſum ſeſe munientibus. Ingens verò ſecuta Hiſpanorum comploratio, vt primùm

conſpexêre

conſpexêre nudum & cruentatum Patris corpus, clauâ contuſum caput, fauces laqueo eliſas, latera ſagittis confixa. Quod pro tempore poterant, ablutum exterſumque corpus Chriſtiano ritu terræ mandarunt, in veneratione olim pretioque habendum, cùm in Taraumarenſium agro ampla eiuſque ſanguine rigata noſtræ religionis ſementis excreuerit. Nouæ Cantabriæ Gubernatoris vxor, matrona pietate æquè ac genere illuſtris, laqueum Cornelij ſanguine conſperſum ſibi dari petiit, eumque pyxide argenteâ, ad hunc vſum factâ, religiosè aſſeruat. Martyrij huius, vt à me narrata eſt, ſeriem, ab idoneis & oculatis acceptam teſtibus, ac litterarum publicarum auctoritate legitimè obſignatam, idem Gubernator ad nouæ Hiſpaniæ Proregem detulit. Ceterùm quæ Martyribus quibuſdam fuit gloria, vt cùm in ſummâ temporum acerbitate, ac diriſſimâ tyrannorum ſæuitiâ occumberent, mitiorem illicò à morte ſuâ rerum faciem ſecuturam diuino inſtinctu prędicerent, eadem cum P. Cornelio communis fuit. Nam non multò poſt glorioſum eius exitum, impij illi deſertores ac transfugæ cum reliquâ incendiariorum ac latronum turbâ miſſis Legatis pacem poſtularunt, & impetrarunt: quodque admirandum eſt magis, ex illis quàm plurimi ad

Patrem

Patrem illum, qui Cornelio successit, se conferunt, & Christianis sacris imbui ac lustrari desiderant. Nimirùm hoc est quod Cornelius non inani vaticinio præmonuit, de quo dubitari non sinunt eius, quæ nobis ad manum sunt, litteræ, quibus hoc ipsum tantò antè denuntiauit. Ita illæ habent, ad P. Andream Ægidianum Cinaloæ Apostolum 17. Decemb. 1648 datæ: Scit R. V. quo consilio huc venerim, quo desiderio aggregandi animas illas dissipatas ouili amabilissimi Ducis nostri IESV CHRISTI. Iam plenus Dei spiritu ad illos pergebam, cùm illi ingrati viam mihi & saluti suę obstruunt, & cursum Euangelicum retardant. Ita spes eorum conuertendorum non affulget, antequàm post belli huius nebulas affulgeat optata pax, & ea quam Regi Deoque debent obedientia. Hoc si consequimur, vt Deo fauente consequemur, breui post duos tresue menses vexillum sanctæ Crucis in medio illorum plantabo in magnâ paupertate. Nam annonam, quam mihi seruabat P. Pascual, omnem auexerunt illi rebelles. Verùm minùs inopiam timeo, qui vitæ iacturam non reformido pro amore IESV CHRISTI. Ita ille. Quæ propterea memoranda duxi, vt ostenderem quis sit Tarahumarensium rerum status, quæ vaticinationis illius Cornelianæ fides, cùm ab eius

morte

morte ſedato barbarorum tumultu, & amicitiâ fœdere firmatâ, reuocari cœpêre neophyti, luſtrari profanata loca, pro ſublato Patre vicariæ ſubmitti operæ, rebelles ipſi ad capeſſendam religionem excitari & accurrere.



# RELATIO
# DE CAAIGVARVM GENTE, COEPTA AD FIDEM ADDVCI,

Ex litteris R. P. Nicolai del Techo, aliàs du Toict, Insulensis, datis ex Residentiâ S. Mariæ Maioris ad Vruaicam fluuium prouinciæ Paraquatiæ anno 1651.



N Reductione, siue oppido, S. Mariæ Maioris, quæ ad Vruaicam fluuium sita est, cum Patre Alfonso Guttierez asthmate periculoso laborante, dego. Curam hîc nos duo gerimus bis mille & sexcentorum Indorum: quorum multi recenter ad Christum conuersi. Quare eorum institutio, intentum studium & assiduitatem exigit. Huic labori alter accessit nihilo minor, nempe Caaiguarum gentem ferocissimam mansuefaciendi, & ad Neophytorum oppida reducendi. Quæ res vt

vt clariùs intelligatur, operæ pretium fuerit huius gentis mores, patriam, & ad fidem adducendi conatus, ſpeſque futuras, breuiter deſcribere.

Caaiguarum gens eſt minimè numeroſa, omniumque Indorum inutiliſſima. Ij inter Paranam & Vruaicam amnes, maximè quà Ignaſu flumini propiores ſunt, in ſiluis habitant: vnde paſſim à circumiacentibus populis Siluicolæ, (quod nomen Caaigua ſonat) appellantur. Propriâ linguâ gens vtitur, haud ſanè ad cognoſcendum facili: quippe dum vocem edunt, ſibilare, & inarticulatos ſchlopos in gutture turbinare potiùs, quàm loqui videntur. Pauculas caſas, eaſque ab inuicem longè remotas habent. Eorum plerique antris contenti, ceu feræ vitam degunt: nec pænè maior illis, quàm ipſis feris ciborum prouidentia eſt, adeò neque agriculturam, aut aliam ruſticationem exercent. Sagittâ piſcantur, venanturque: ſed maximam anni partem crudis vermibus, muribus, formicis, & aliis animalculis, parabili ſanè ciborum genere, veſcuntur. Anthas, quas nos magnas beſtias vocamus, cum ipſis luctando mactant, comeduntque: ſimias verò, per arbores adrependo, ita aſſequuntur, ac ſi ipſi ſimiæ eſſent, quarum carne maximè delectantur; nec ab eſu tigrinæ adhorrent. Mel ſilueſtre

illis in deliciis eſt, cuius potu ita incaleſcunt, vt illo ſe nudi homines contra frigora tueantur, & ad facienda bella animent. Porrò illorum bella tam ignobilia ſunt, vt propiora ſint ferarum inſultibus, quàm hominum certaminibus: nam cùm in ſiluis perpetuò degant, quotidianâ exercitatione per ſpiſſitudinem vepretorum ſpinetorumque tam expeditè ambulant, quàm ipſæ viperæ: ita vt ſerpere potiùs, quàm pedibus incedere videantur. Ex ſepibus viatores incautè in ſuis terris dormientes, ſed noctu tantùm, aggrediuntur, mactantque, non tam vindicandi ſe, aut alienarum rerum cupidine, quàm quadam ferocitate animi; atque hanc feritatem liberali planè appellatione bellum vocant, quod bellandi genus ab ipſis tigribus didicêre, quibuſcum illis perpetua conflictatio eſt: nec aliam rationem ipſi paucitatis ſuæ reddunt, quàm quòd continuis tigrium inſultibus diminuantur. Rabiem pro virtute habent, ceteras animi dotes ignorant. Subinde vſque ad portentum corpore deformes ſunt, tam ſimiis ſimiles, quàm hominibus, præſertim ſi nares ſpectes, quibus ſimos iure optimo dixeris. Dorſo plerique, quòd ſub nemoribus viuant, gibboſo & incuruo ſunt, adeò vt medio corpore terram proni adſpiciant. Multi tamen inter eos formâ honeſtiore ſunt, præ-

ſertim

sertim mulieres, quæ in vmbrâ natæ educatæque, corporis colorem Europæis non admodùm absimilem conseruant. Vtrique sexui tenuis rationis vsus est, quam cibi genere, & quotidianâ feritate, libertateque vitæ (quòd à pueris nulli officio assuefacti, nihil omnino præter voluntatem faciant) ita deprauant, vt ab ipsarum ferarum moribus vix latum vnguem absint. Vrticis se mulieres à cingulo ad genua vestiunt, quas primùm lini instar macerant, digitisque pectunt, deinde in retis formam nectunt. Viri autem vestes nullas habent præter pelles, ob quarum paruitatem, omnes ferè apertæ sunt corporis partes: & quamuis nudi sint, ita toto corpore obcalluerunt, vt per vepres & spinas illæsi, necnon absque formidine incedant. Nullam ferè rem ad se ob suspicionem importari desiderant: sed quæ sunt apud eos nata, praua atque insipida, hæc quotidiano vsu sibi vt sapiant, efficiunt. Si qui capiuntur, difficiliùs quàm ipsæ feræ cicurantur. Nam aliquando visi vincula, quamuis ferrea, mordere dentibus, & rabidorum in morem toto ore spumare. Quin assuescere ad aliorum consortium, & mansuefieri vix ipsi etiam paruuli excepti poterant. Si in vinculis diutius relinquebantur, quadam impotentiâ animi, vti animalia, quæ extra elementum suum educari nequeunt,

queunt,

queunt, paucos post dies non admissis cibis moriebantur. Cum hac gente Paranenses, antequàm Christo darent nomen, inimicitias exercuêre: nec alia bellandi caussa vtrisque erat, quàm vt carne hostili, ceu venatores ferinâ, vescerentur, aut certè periculum à se auerterent, vti Europæis mos est, lupos, ne noceant, occidere. Sed Caaiguæ victos se adeò dolent, vt quamuis subinde ab hostibus veniam accipiant, neque cibum sumant, nec vulnera curari patiantur: & ægrè ab aliquibus obtentum, vt vellent viuere. Porrò cum in oppido Beatæ Mariæ Maioris, Ignasu dicto (in quo iam ego dego) adolescentulum ex eâ natione vnum P. Claudius reperisset, pretio redemptum apud se educauit, (quo interprete ego nunc vtor) eo fine, vt & linguam Guaanicam moresque Christianos disceret, subinde verò religionem apud populares, relatis magistrorum suorum sententiis, interpretaretur. Res successit è voto: nam cùm Caaiguæ viderent ab eo tempore, quo Guarani, neophyti nostri, Sacerdotibus externis se subdiderant, vix ampliùs violentos esse, nec se ab iis ad necem quæri; quorundam animos subiit desiderium res Christianorum propiùs perspiciendi. Ideò ex spelæis nonnulli egressi, commercij obtentâ specie, ad vicina oppido Sanctæ Mariæ Maioris loca

cymbâ

cymbâ prouehuntur, factoque vtrinque recularum suarum per interpretem commercio, ægrè tandem impetrarunt, vt eorum Casiquius, qui aderat, cum aliis quatuor, oppidum ingrederetur, & sociis IESV se sisteret. Magnum ad id momentum attulit adolescens ille, qui Patrum beneuolentiâ ad externorum hominum consortium assueuerat. Ad omnia stupebant siluicolæ. Ita splendidæ illis visæ sunt luteæ stramineæque sociorum domus, vt rusticis Europæis vrbem primùm ingredientibus superba Regum palatia. Spectatores interim non sine formidine circumstabant: nam audierant, ex improuiso eiusmodi homines fanaticorum in morem furere, & cùm mansuefactos putes, ferarum instar in adstantes inuolare: in omnes itaque eorum motus, gens intenta ad fugam sese suspensò pede disponebat. Sed eâ minimè opus fuit; nam Patres nostri prudenti consilio, cùm rationibus apud hanc gentem agere se posse desperarent, ad cælestia auxilia confugêre. Lipsanothecam igitur, quâ S. Xauerij ossis frustum claudebatur, aduenis ostendere lubuit, vt ab Indorum Patrono opem sentirent: non ineptè coniicientes in cælis auctum Xauerij amorem esse, quo quondam, dum viueret, Barbarorum animos deperibat. Barbari thecam tetigêre, vultum mutauêre, indicem mutatæ

tatæ mentis; itáque se tractabiles præbuêre, vt assererent, se aliàs redituros, suísque popularibus narraturos quæ viderant. Nec ea parua gloria S. Xauerij est, post tot ætates in ossibus mortuis vigorem conseruantis, quo viuus barbaros subigebat. Sanè ex animi modestiâ passim asserebant Patres, plus mutum & pictum Xauerium potuisse, quàm viuæ ceterorum virtutes. Exinde sermones de Deo feri homines arripiebant auidè, & oris alacritate, audiendique cupiditate satis manifestè ostendebant, se ad capessendam virtutem cælitus esse commotos. Cibos itaque positis suspicionibus è Patrum manibus non illibenter admittebant: dolebantque Patres, se ob linguæ inscitiam, & interpretis stupiditatem, non animi sensa explicare, non percontantibus satisfacere planè posse. Porrò haud dubij quorumuis animos beneficiorum assiduitate vinci, eorum beneuolentiam benefactis sibi conciliabant. Omnes igitur à Patribus liberaliter donati sunt, & coram illis lætitiæ ostentamenta, qualia in festis solent, procurarunt. Lepidum erat ad æris campani tactum, ceu ad tonitruum, attonitos cernere: mirabantur enim quî tantilla moles adeò vocaliter loqueretur. Sed lepidius fuit, feros homines, tigrium barritibus tantùm assuetos, ad musicæ numeros numquàm antè auditos subsilientes

videre,

videre, & Neophytos pueros ad ſymphoniacas modulationes ſaltantes palàm imitari. Iam non miror poëtarum commentum, aſſerentium ab Orpheo ſaxa & feras fidium harmoniâ poſt ſe tractas, ſi pueri idem hîc iam faciunt. In patriam redire volêtibus nauigium, quo veherentur, Patres, frondibus & floribus exornarunt, externis quibuſque officiis, barbariſſimos hominum, ſi poſſent, allecturi: datâque ſpe ſui reditus, eo quo venerant die abierunt. Numquàm deinde Patres occaſionem omiſerunt de hac natione benè merendi. Idque Barbaris ſatis cognitum erat: nam cùm fama vulgaſſet dyſcolos quoſdam ſanctæ Mariæ Maioris oppidi incolas, in Caaiguarum fines antiquo more hoſtiliter irrupiſſe, Patres noſtri in reos ſeuerè animaduerterunt.

Deinde P. Petrum Aluarum nouus inceſſit ardor Caaiguarum terras peruadendi, Chriſtique legem apud nationum omnium barbariſſimam promulgandi. Bonâ igitur cum P. Petri Romeri, tunc Miſſionum Superioris, nunc clariſſimi Martyris, veniâ, aliquot Indis comitantibus, ex Acauaia Neophytorum oppido iter arripit; tranſmiſſoque Paranâ, ſiluas denſiſſimas, nullique præterquàm tigribus peruias, ingreditur; perque earum denſitatem ſibi viam aperit, tantâ corporis contentione, obluctatione-

que, vt breui inter vepreta illi religiosa vestis exterior discerpta sit, solumque thorace, & caligis; quantum ad nuditatem tegendam sufficerent, integris, tectus, reliquum iter confecerit; tanto incommodo periculoque, vt vestitus flumina collo tenus, ac paludes pluuio maximè cælo transmitteret, eoque loci dormiret, vbi frequentia tigrium vestigia, & semesa à feris hominum cadauera visebantur. Post nouem dierum iter egregius animarum venator, ferorum hominum spelæa ingressus, per interpretem effecit, vt octodecim qui aderant Christo nomen darent, seque sequerentur. Neque illi admodùm inuiti sua deseruêre, nam tot tigrium insultibus consternati erant, vt vix vitam diutius in his nemoribus protrahere se posse confiderent. Narrabant enim, paullò antè quàm Pater veniret, homines duos à tigribus discerptos, & tres mulieres viperarum morsu periisse. Cumque Pater de vicinis populis quæreret, hæc ferme reperit: nempe Ibagobium Christianum transfugam ad se non ita diu venisse, multisque Caaiguarũ persuasisse, vt se sequerentur, eoque duxisse, quò non facilis esset aliis, quàm ipsis siluicolis, accessus: inuium enim esse iter per montium abrupta, & tigribus anthisque obnoxia loca, nec satis sciri vbi sedem fixerint. His auditis Pater Aluarus reditum adornat:

adornat: nam vires, quas siluestribus baccis, herbisque sustentabat, eum defecerant. Prædâ ergo potitus, pari labore & incommodo iter suum relegit. Pedibus ferme ibat nudis, & ferè sine vestibus, quòd riui amnesque vado, aut natatione transeundi se passim offerrent. Itaque sæpenumerò fatiscente corpore ex algoris & famis iniuriâ grauiter laborabat, passimque genua subsidebant, continuo etiam spinetorum occursu fatigatus, lubricitate aut asperitate viæ fallente vestigia, toto corpore corruebat. Quæ ille omnia non æquo solùm, sed intento in Deum superabat animo: quippe tanta erat inuentæ prædæ P. Aluaro voluptas, vt cùm in vepres se indueret, vel ad saxa offensaret pedes laceraretque, aut cùm imbribus maderet, aut frigore confectus & fame rigesceret, vbi humana ærumnarum subsidia, solatiaque suppeterent nulla, gaudio exilire videretur. Ægrè superatis viæ difficultatibus, tribus septimanis in itinere exactis, demum defectissimis viribus Acauaiam Dei benignitate saluis & incolumibus comitibus peruenit. Et cùm vsu comperisset, Caaiguarum gentem ex patriis tenebris abductam, ceu pisces extra elementum, statim emori, nequaquàm sibi cunctandum duxit, quin statim tentaret, quo tandem animo Christianæ legis documenta addisce-

addiſcerent. Reperit eorum animos ad retinendum ineptos, & ad benè intelligendum obtuſos. Memor itaque Diuinæ clementiæ volentis homines & iumenta ſaluare, raptim, num crederent Chriſti myſteria, à ſingulis inquirit; cùm aſſererent, volentes baptiſmo initiat: & paullò pòſt omnes nemine dempto moriuntur. Quod vt vidit Petrus Aluarus, poſt tantos itineris labores enimuerò gauiſus eſt ſuum manipulum ex ſegete relatum, dignum fuiſſe, qui in æterni Patris horreum transferretur, in tantillo numero illâ ſe cogitatione conſolans, glorioſum eſſe pro Chriſto non ſolùm multa agere, ſed etiam pauca agẽdo multum pati.

Deinde numquàm Caaiguarum gens niſi hoc anno adita eſt: nam cùm Mammaluci latrones ad eos abigendos veniſſent, timereturque ne in noſtros Neophytos domitâ hac gente, irruptionem facerent, ſexcenti circiter Paranenſes Indi, quibus additi ſunt duo ex noſtris Patribus, eò menſe Martio proximè elapſo perrexerunt. Commodè accidit, vt Caaiguarum ſiluas eo tempore ingrederentur, quo Mammaluci latrones de gente abigendâ cogitarent: quare noſtri arma expediunt, abactiſque vi latronibus ſexaginta circiter Caaiguarum capita è ſeruitute liberant, & ad Neophytorum oppida latronum ſpoliis onuſti reducunt.

Hunc

Hunc Caaiguarum manipulum reductionum omnium Superior ei oppido, in quo ego verſor, addixit, mihiq́ue eorum curam commendauit. His itaque bidui itinere ego obuiàm progreſſus cum equis & curribus, omnes incolumes, magnâ vtique animi mei voluptate, adduxi. Lepidum erat videre homines ad omnia ſtupentes: nam nec hactenùs equos viderant, nec currus, nec boues, denique nihil præter ſiluas ſuas, & arbitrabantur, ni fallor nos petaſatos calceatoſq́ue naſci: nam non ſine admiratione calceos noſtros attrectabant, & tibialia. Quatuor ſuperioribus menſibus lautè eos excepi & alacriter habui, & præquàm ſperabatur beneficiis ita paullatim manſuefacti ſunt, vt ad Neophytorum noſtrorum mores proximè iam accedere velle videantur. Per eum interpretem, de quo ſuprà meminimus, cum iis ago, cuius auxilio breuem catechiſmum mihi compoſui. Tres adulti hactenùs tantùm mortui ſunt, & quatuor pueri, omnes ſuſcepto baptiſmo. Reperi eam gentem nullum nomen habere, quo Deum & hominis animam ſignificet. Nulla ſacra habet, nulla idola: quare non difficulter, quæ de Deo fides nos docet, credunt: reliqui ſuperſtites commodâ vtuntur valetudine, qui omnes à me petierunt, vt vellem ad eorum terras pergere ad inuitandas ſuæ gentis reliquias.

liquias. Quæ res me mouit, vt à Superioribus meis eam missionem enixè peterem, quam tandem obtinui. Mense itaque Septembri proximè sequenti, cum sexaginta circiter Neophytis, ad eorum terras, 60 leucis hinc distantes, Deo dante, pergam. Deum optimum, maximum rogo, vt me adiuuet, & hanc gentem ad caulas Ecclesiæ suæ tandem adducat: quod, nisi peccata mea obsint, futurum spero.

P. Adrianus Knudde Brugensis, ex prouinciâ Flādrobelgicâ olim huc missus, cuius per quadriennium in missionibus socius fui, Martio proximè elapso mortuus est, postquàm inter Indos viginti annis vtiliter valdè vires & industriam magnâ cum ædificatione in summis vitæ periculis cōsumpsisset. Eius ego Vitam, iussu Superiorum, Hispanicè scripsi.

P. Iustus Van Suerck, ex eadem missus prouinciâ, vir verè apostolicus, adhuc præest missioni Statinensi, & egregiè insudat in reformandâ denuò reductione B. Mariæ Virginis Forensis, quam Mammaluci latrones inuaserant. Ducentis circiter leucis ab inuicem absumus: & hoc temporis momento, quo hæc scribo, nuntius adfertur, septingentas Indorum familias à bono Patre ex nemoribus, ad quæ post Mammalucorum inuasionem confugerant, summo labore de-

niquc

rique reductas. Reliqui Belgæ benè & vtiliter operam suam inter Indos collocant.

Rex noster, & senatus regius per literas monuit, vt Boni-aëris portui sedulò inuigiletur. Resciuisse enim se, eum portum per vim Lusitanos ingredi velle. Mammaluci latrones nostris inhiant Neophytis; veremurque, ne nos iunctis viribus sequenti anno aggrediantur. Succussantis terræmotus nondum subsidit.

Magnâ hîc vrgemur operariorum penuriâ, & nisi multi cum Procuratore veniant nescio quid remedij sit: Deus vineæ suæ prouidebit.

*Ex aliis litteris ex eadem Paraquariâ.*

Ante duos & ampliùs annos Paulopolitani ex Brasiliâ prædones duas Reductiones vastarunt, traiecto vno è nostris plumbeâ glande: facile iis fuit in illos incautos irruere, quòd à ceteris, quæ ad Paranam, & Vrugaicam fluuios sitę sunt, longè abessent. Porrò de cælo istarum regionum vt aliquid etiam dicam, & glebæ fertilitate, id scire oportet, hanc nostram, quam Paraquariam appellamus, prouinciam, tres Præfecturas complecti; Paraquariam, Tucumanicam, & quam à flumine Argenteo vocarunt, quæ omnes vti soli feracitate diuersæ sunt, ita & cælo. Paraquaria Brasiliam imitatur, omnisque illa terra, quæ Paranæ, ac Vrugaicæ

flumini

flumini adiacet, licet moderatiùs æstuet aliquantò. Hinc fructuum eorum, quibus Brasilia abundat, ferax est, quorum nomina, vtpote Europæis ignota, referre nihil iuuat. In hoc Brasiliæ hæc antecellit, quòd, præter saccharum prçcipuas Brasilorum diuitias, etiam vinum ferat, idque non vulgare; nec triticum desit, quo Brasili ferè omnino carent: licet etiam hîc illâ farinâ ex certis radicibus confectâ, pro pane vulgò vtantur.

Illa verò regio quæ ad Argentei fluminis præfecturam spectat, ac diœcesin in spiritualibus, licet peregrinis & Europæ ignotis fructibus rebusque minùs abundet, tamen ea, quæ huc inde aduecta, eo prouentu sunt aucta, vt admirationem mereantur. Equorum, qui ante Hispanorum aduentum, vt & boues, Indis numquàm visi erant, ea nunc est copia, vt armenta innumera, per immensa camporum æquora vagentur, illique domino cedant, qui iniecto eos laqueo venando capere voluerit: & sæpè equus Philippæo, imò medio, nonnunquam etiam viliori pretio veneat. Bouim pariter ita abundè est, vt qui decem, aut duodecim millia suis in prædiis possideat, non inter eos censendus sit, qui maximè abundēt, cùm non desint qui ad trigesies, aut saltem ampliùs vigesies mille numerent, imò

quorum

quorum numerus iniri non possit. Hinc pretium bouis vulgare est Philippæi vnius. Cùm tamen spectato rerum aliarum pretio (quæ nimirùm ad cibum non pertinent) eo loco censeatur Philippæus, quo in Hispaniâ octaua eius pars; ideoque hîc sufficiens ad peccatum mortale in genere furti cōstituendum materia esse non iudicetur. Imò cùm naues ex Hispaniâ adsunt, quibus boum coria in Hispaniam auehenda traiiciantur, pluris est corium, quàm ipsa vacca. Malorum etiam Persicorum ita ferax est tellus, vt in suis villis integra illarum arborum nemora habeant, & inde ad domesticos vsus, & focum cuique ligna suppetant. Perdicum præterea genus est omnibus quacumque euntibus maximè obuium: ei exiguus alarum vsus; nam neque in sublime se attolit, cùm volat, nec vno impetu ad longam distantiam volatum persequitur. Iucundum earum aucupium est longâ arundine, cui extremæ laqueus annectitur. Perdix viso equite (nam nemo non equo vehitur extra vrbem) pedibus primùm fugere, mox, illo propiùs accedente, toto corpore subsidere tamquàm præteriturum elusura, atque ita immota laqueum ex arundine pendulum tibi indui sinit. Tum verò dum serò tandem auolare nititur, coëunte laqueo auceps, ceu piscator hamo, prædam pendentem attrahit.

ELO-

# ELOGIVM
# R. P. ADRIANI KNVDDE DICTI CRESPI, BRVGENSIS BELGÆ, E SOCIETATE IESV,

Insignis operarii in missione Paraquariensi, ibique defuncti an. 1651, Februarij 25, Hispanicè scriptum à R. P. Nicolao del Techo, Latinè ex autographo versum.



Vo maximè tempore copiosa in his Americæ plagis animarum seges, atque operarum penuria, Europæa supplementa flagitare videbatur, libuit ei, cui quæcumque libent recta sunt, strenuum nobis virum subtrahere, portantem cum exultatione in cælum manipulos suos, P. Adrianum Knudde, hîc Crespum dictum, quatuor vota in Societate professum. Vitæ humanæ annos nouenos supra quadragenos egerat, secularis ter nos supra

pra

pra vicenos, religiosæ ceteros: iis dotibus instructus, quæ cùm instituto nostro peridoneæ essent, tum maximè his Missionibus opportunæ.

Anno 1602, 17 Febr. ortum illi dedêre Brugæ inclyta Flandrici Belgij ciuitas; vitam verò ingenui parentes: quàm adeò sollicitâ educatione percoluerunt, honesta vt sola nosset, ignoraret turpia: quorum ne nomina quidem intellexit, vsquedum Theologia morum præceptrix & vitiorum expultrix, aliena eum flagitia scire iussit, vt emendare posset.

Primoribus adolescentiæ annis, castimoniæ propositum voto firmauit: quod sedulò deinde fouit, toto feruidæ ætatis impetu in consectanda litterarum, ac pietatis incrementa translato. Si quid autem ab laboribus honestis otij superaret, id sibi oblectationis, & auocamenti loco indixit, vt varias religiosarum familiarum domos frequens viseret, certiorem notitiam hausturus, ad prudentem vitæ generis capessendi delectũ.

Tam lætis progressibus velificata parentum pietas filium ad Louaniensem Academiam mittit: vbi Philosophicum stadium emensus, etiam Theologicum libat; clarâ vtrobique ingenij laude, sed continentiæ ac modestiæ vel clarissimâ.

Senserant propinqui, & agnati, quantum

ſtirpi ſuæ in Adriani capite ſurgeret decus. Illicò ad tantæ ſpei adminicula conquirenda verſi, adnitente præ ceteris fratre ipſius, poſteà Cathedralis Eccleſiæ Brugis Canonico, iuuenis animum exſtimularunt, vt ſe in altioris fortunæ ſplendorem daret: tum in Canonicorum Brugenſium cœtu locum ei propoſuêre, opimum vectigalibus, dignitate honorificum, velut aptiſſimam baſim, in quam euecta eius doctrina & probitas commodius ſe oſtenderet publico, famæque aſſignaret. At ille propoſitas intermorituræ gloriæ ſpes omnes pro Chriſti amore aſpernatus, in humilem ac minimam eius Societatem adlegi præoptauit: cuius ambiendæ prehenſandæque conſilia mente agitantem ſingularis quidam caſus ad certam ratamque animi æſtimationem impulit.

Louanij duos eiuſdem litterariæ laureæ riuales inter ſe commiſerat æmulatio: quorum alteri beneuolum ac ſuffragatorem Adrianum, alter irarum impotens tollere è medio ſtatuit. Dumque ſceleris opportunitatem captat, ſors illam offerre viſa eſt. Inaudierat inuiſum ſibi Adrianum foris apud vnum ex amicis cœnitare. Aduolat armatus, viamque inſidet, per quam à cœnâ domum ſe relaturus erat, vt redeuntem & incautum clàm ferro ſuperet. Sed innocentis famuli ſui ſaluti conſulturus Deus, eam eius

conni-

conniuatori mentem iniecit, vt protractis in seram noctem sermonibus, quem mensâ exceperat, etiam lecto, propter frequentia in plateis tenebrarum pericula, retineret ad quietem.

Ita frustrato feliciter insidiatore, postquàm resciuit Adrianus, quanto eum discrimini subduxisset Deus, gratum se illicò præbiturus, vitamque reliquam Seruatori suo dicaturus, annos natus viginti tres, Mechliniensis tirocinij nostri domum subit; anno 1625. 25 Iunij.

Expleto biennio, conceptisque de more votis, Louanium remittitur, Theologicis excolendus, daturusque operam iis sapientiæ magistris, quorum non verbis modò ad disciplinam, sed & exemplis ad sanctimoniam eruditus, eximiam literarum ac virtutum mixturam fecit; ignarus tunc quantum inde Diuina prouidentia fructum breui esset excitatura. Contigit ea res in hunc modum.

Significauit sociis Europæis P. Gaspar Sobrines, indigere Paraquariensem hanc barbariem operariis, qui & virtute præstantes essent, & in musicis exercitatissimi. Non peritiorem alterum P. Adriano Knudde habere se ad manum censuit R. P. Florentius de Montmorency Flandro-Belgicæ tunc Prouincialis, qui cùm & generosos

eius ad virtutem animos, ardentemque pro salute proximi zelum probè nosset, eum cum aliis duobus sociis Iudoco van Suerck Antuerpiensi, qui Iustus Mansilla hîc appellatur, & P. Iacobo Ranzonier, qui Ferrerus, barbaræ huius gentis cultorem elegit.

Qui delectus ei ante refectionem denunciatus, tantâ pectus eius tamque inexpectatâ superfudit lætitiâ, vt & prandij tempore cibum capere vix posset, & solutâ mensâ, nihil moratus, Patres, Fratresque carissimos postremùm salutaret, eorum non paucis tam beatæ sortis sanctam inuidiam, omnino omnibus tantæ virtutis admirationem relinquens.

Extemplò viam init, grauibus vtique incommodis emetiendam. Cùm enim Parisios attigisset, auctor illi fuit Collegij Rector vt reliquum iter pedibus, Apostolicâ paupertate & patientiâ conficeret. Obsecutus, quoad licuit, fatiscentia lassitudine membra Burdegalam vsque traxit. Eò appulsum nouus excipit labor. Affertur enim P. Gasparem Sobrinum iam Vlyssipone versari, breui in Americam vela facturum: accelerandum esse, si comes adiungi vellet, & veredorum cursu illuc prouolandum. Territus hoc nuntio, vtpote tam citatæ equitationis prorsus imprudens & inexpertus, P. Carolum à Lathoringiâ domus Pro-

fessæ Præpositum consulit, suamque cursoribus equis vtendi insolentiam denuntiat. Sed ab eo, Dei caussâ, fortiter insueta tentare, & prospera sperare iussus, tam strenuè iter citatis equis peregit, vt quamuis durâ, tamen felici viâ, ad Lusitanicum littus tempori se sisteret, ac paucis pòst diebus, conscensâ naui, alto se permitteret.

In eâ nauigatione tam illustria probitatis, & industriæ argumenta edidit, vt Paraquariensi potitum portu, religiosi Præsides, sine morâ ad Missionum culturam adhibuerint, & quaternis earum præfecerint. Vbi quàm nauum se Societatis operarium tribus & viginti annis præbuerit, operæ pretium erit paucis enarrare, tum ad memoriam posteritatis, tum ad tanti viri gloriam illustrandam, tum denique ad documentum è tam splendidis exemplis hauriendum.

Simul ac prouinciam suscepit procurandarum Reductionum (ita enim appellitamus nouas Indorum colonias, quæ ex reductis à siluestri victu Barbaris, ad Christianos mores, & consortionis humanæ commercia coalescunt) ad linguam eorum condiscendam tanto studio incubuit, tam improbo labore eius rudimenta deuorauit, vt inter disertissimos haberetur: eamque cultissimi oris facundiam, quoad vixit, expoliuit. Ac tametsi extemporali oratione facilè audito-

res admiratione complere posset, scriptitabat tamen conciones suas, quarum septem vel octo syntagmata moriens reliquit, nec nisi paratè ac meditatè accedebat ad dicendum, perinde ac si in celeberrimis Europæ pulpitis verba facturus esset; illud sibi sæpè ingeminans: Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.

Huius eloquentiæ, quæ Adriano inerat, zeliique diuini benè conscij Superiores, nostros ex Europâ in harum Missionum subsidia submissos, statim eius disciplinæ tradebant instituendos, vt in eos simul peregrinæ linguæ notitiam, simul Barbarorum Christo asserendorum flagrantissima studia transfunderet.

Incredibile enim dictu est, quantâ caritate feram hanc barbariem in sinu haberet atque in deliciis, vt non iam sibi, sed ipsis tantùm viuere ac spirare videretur.

Altissimè enim eius animo illud Christi verbum insederat: Quod vni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis. Induxerat igitur animum, quantumcumque optimo Saluatori, & quasi creditori, æris alieni deberet, quoad eius fieri posset, Indis renumerare: atque in illis Christum contemplans, summâ se alacritate supremo Domino in membris suis indigenti totum impendebat.

Mira

Mira fuit eius ad benificentiam pronitas: neque vnquam pati poterat, vt vel vnicus Indus ſolatij expers ab eius conſortio, colloquioúe abſcederet. Si quando autem quod largiretur aliud nihil eſſet in promptu, iniiciebat manum tenui cupediarum annonæ, quæ recreandis hoſpitibus aſſeruabatur; eamq́ue Indis ſuis viritim diſtribuebat, eâ ſignificatione dulciſſimi amoris, eâ vultus hilaritate, vt omnium ſibi animos arctiſſimè deuinciret. Ne quid in penuariis ſuis ſitu corrumpi ſineret, maturè diuidebat abſumendum. Optimum panem ac recentiſſimum pauperculis ægris erogabat, dictitans etiam miſellis Indis Chriſti fraterculis boni panis buccellam benè ſapere. Nec lautioribus epulis, vt quidem hæ ſolitudines ferunt, parcebat; etiam gallinas ſcitè coctas refouendis ægris apponens. Socios verò, vt idem facerent, hortabatur: cumq́ue eos largè quidpiam edulij Indis donaſſe intelligeret, quaſi eo beneficio ipſe eſſet obſtrictus, eorum munificentiam multâ laude & gratiarum actione proſequebatur, vltro etiam ad dona donis cumulanda inſtigans.

Probabatur plurimùm Superioribus iſtęc animi benefica amplitudo: apud quos quamuis in poſtulandâ dandi veniâ propemodùm nimius videretur, faciles tamen experiebatur: neque enim repulsâ dignum cenſebant,

 ſebant,

ſebant, qui non ſuis commodis ſeruiret, ſed alienis, propter nimiam caritatem quâ Indos diligebat, quibus multum ſemper eblandiebatur boni, propter ſanctæ importunitatis improbitatem.

Rectè dicitur, piæ liberalitati nullum eſſe fundum: miſericordi enim diuinæ ſuppetunt opes, quæ cùm ſint inexhauſtæ, ſemper affluunt. Dabat egenis Adrianus, Adriano Deus. Tuguriolum eius ſemper omni cibario commeatu abundabat: memoreſque beneficiorum Indi gratuitas operas ſeu ſerenti fruges, ſeu metenti, ſeu ſtatiua ædificanti commodabant, Domus certè noſtra in S. Ignatij pago, quæ eſt in his Paraquariæ Reductionibus habitatio commodiſſima, eius induſtriæ & opus & argumentum eſt. Eam quæ in pago eſt Apoſtolorum, primus inſtituit, multumque promouit. Neque parum debet eius curæ ſtudiiſque Stapuana.

Proficiſcenti ad vaccas coëmendas adducendaſque, Fratri noſtro Ioanni de Cardenas ſæpè ſe comitem adiunxit; quamquàm tenui valetudine, & ad tam laborioſam peregrinationem imbecillâ. Porrò omnes id genus aſperitates, materno inopum Indorum, quibus erant profuturæ, amore condiebat: vilibuſque in ſpeciem miniſteriis ingens pretium interiore affectu ſince-

ræ caritatis addebat. Eiusdem quoque caritatis impulsu excultos agellos gossypio conserebat, plantabat arundineta, taurorum domituræ efficiendæ curam gerebat; plaustris, aratris, ferro multiplici, rastris ac securibus, rudes ignarosque artium, quibus vitæ commoditates continentur, populos instruebat, vt sanis iuxta ægrisque prodesset.

At verò animarum illi cura longè potior. Vix ad hæc nostra in procurandâ Indorum salute munia se adiungere cœperat, cùm ei non quasi tironi, sed tamquàm multarum palmarum veterano pugili, duarum Reductionum recens inchoatarum administratio deinceps imponitur. In eo munere quantum illi sudandum, quot ærumnæ perferendæ, nemo verbis exequatur. Quæritandi erant & cogendi vnum in locum barbari idololatræ, nonnulli etiam ingenio mirè truci, quos Exmarrones vocant. Hîc ille penetrare abdita nemorum, scrutari in stagnorum lacunis insulas, montes inuios ascensu superare, sexcenta incommoda tum in cibo, tum in somno perpeti, dum pio venatu pretiosæ prædæ latibula indagat, repertosque siluestres homines salutat, alloquitur, inuadit amplexu, suauissimâ comitate sibi demeretur, vt ad socialem vitam adducat. Nulla vnquam mater caris pignoribus dulciùs blandita, quàm his semiferis Adrianus;

vt

vt deuias oues bonus paſtor in tuto locaret, in ſinu ſuo congregabat agnos.

Quos verò immanſuetiores comperiebat, eos diuturniore patientiâ paullatim mitificare moliebatur. Admotos foco ſuo per hyememm longis colloquiis tenebat, de illorum familiis, excurſionibus, piſcatu, venatione; identidem aliquid eſculenti vel poculenti porrigens, quod nouerat placiturum. Tum ſenſim ſermonem ad diuina & æterna flectens, flexanimâ facundiâ ferociam mulcebat. Poſtremò variis donis cumulatos, plenis manibus abire iubebat, ad nouos congreſſus in poſterum inuitans. Quâ ſuauitate & beneficentiâ irretiti Barbari, quamuis aliàs inurbani, auidi, tenaces; tamen victo parſimoniæ ſtudio, & ipſi non ſine muneribus ad eum redibant, quaſi liberalitate certaturi. Excipiebat illos mirificâ grati animi ſignificatione, ac vicem remetiens, humana diuinaque abundanter regerebat: cùm illud P. Iacobi Turriani dictum pro effato haberet; ad comprobanda Indis fidei noſtræ myſteria, munuſcula eſſe pro miraculis.

Nullum defugiebat laboris genus, vt animarum ſaluti conſuleret. Peruadebat inuia quoque, nihil moratus cæli iniurias, ſeu feruido ſole coqueretur, ſeu largo imbre totus immadeſceret, dummodò è Tartarei

leonis

leonis vnguibus ac rictu prædam excuteret. Aliquàndo in vasto flumine, vadum equo, cui insederat, tentantem, procurrentium aquarum æstus abripuit; iamque pessum eunti obuius littoralis cuiusdam arbusculæ ramus iniectâ manu prehensus saluti fuit, dum ex eo aliquamdiu pendens, tandem accurrentium Indorum ope in ripam euadit.

Vt siluestres incolas eius prouinciæ, quam Caassapaguassu nominant, siue iam Christo mancipatos, siue fidei atque adeò humanitatis expertes, in statæ habitationis communionem reuocaret, quàm aspera sustinuerit, vix quisquam eloquatur. Martyrio semper paratus, bis proximus, sæpiùs de morte triumphauit. Semel Barbari, comitate ipsos aggredientem summâ feritate repulerant: præ ceteris Caciquius quidam (ita Principes suos vocitant) iam elatâ securi minax, & in vulnus assurgens, ni furentem nonnulli cohibuissent. At quam à cæde abstinuerat manum, non perinde à rapinâ compescuit. Spoliatur optimus Pater: detractis etiam femoralibus ac tibialibus eiicitur penè nudus, biduoque ieiunus atque errabundus, tandem suis redditur. Vix domum reuersus, viribus instauratis ac fidentiâ, recurrit ad prædones, mortis & periculorum securus. Fugitantes lucem nuperi latrocinij

conscien-

conſcientiâ, per ſaltus & nemora veſtigat, inuentos conciliat ſibi, datâque vltro veniâ ſecum ad ea, quæ deſeruerant, domicilia, placidè reducit, victor luporum agnus. Quin etiam ad heroïcæ manſuetudinis exemplum, à P. Superiore impetrauit, vt Caciquium, à quo ſecuris in eum fuerat intentata, ſcipione tradito, quod eſt inſigne conceſſi in reliquos principatus Ducem crearet.

Tot denique laboribus feſsâ, fractâque Adriani valetudine, vigebat tamen infractus animus: neque veluti emeritis ſtipendiis prætorianus, vacationem bellicorum munerum petiit: ſed militis inuicti more, cui honeſta vulnera acuunt animos, non priùs arma quàm vitam abiecit. Pedibus ſi minùs commodè ingredi valeret; reptabat tamen, vti poterat, ad Confeſſionis ſacrum tribunal, ad ægrorum domos, & quocumque pauperum neceſſitas euocaret. Sæpe viribus defeſſus, & propè ſemiuiuus concionale pulpitum aſcendit, vt ad populum verba faceret, vel pueros fidei rudimentis imbueret; dicere ſolitus, neutiquam eſſe ignauè & muliebriter cedendum difficultatibus, ſed forti pectore obluctandum. Nihil poterat illi accidere grauius, quàm ſi in laborioſorum munerum inter noſtros partitione, per cauſſam valetudinis, ſe præteritum intelligeret, præſertim in Barbarorum

confeſſio-

confeſſionibus audiendis: ſemperque paratum ſe aiebat ad rerum temporalium curam quamlibet alteri tranſcribendam; at de ſanctis functionibus nihil ſe omnino remiſſurum: affirmatque vnus ex eius ſociis complurium annorum ſpatio, ſacrorum miniſteriorum ſtatas vices ac munia ad præfinitos temporum articulos, perfectè ab eo fuiſſe obſeruata: ſemel dumtaxat vi morbi vehementiore affixum lectulo, quâ horâ pœnitentibus aures erant commodandæ, ſocium humaniter acciuiſſe, & rogaſſe vt morbum excuſare liceret.

Quin etiam laudabili fraude ſociorum laborem adeò frequenter ſubripiebat ſibi, vt omnibus ad pia eius furta præcauenda ſolerter aduigilandum eſſet. Domeſtico laborum penſo minimè contentus, ſi quando in vicinâ quapiam Reductione vnum tantùm è noſtris remanſiſſe inaudiſſet, ceteris aliò digreſſis; ſtatim ad eum inuiſendum prodeambulabat. Specie quidem officioſæ ſalutationis; re verâ autem, vt omnibus illius pagi ægrotis viritim aliquid ſolatij dulcibus alloquiis irroraret. Non rarò minutulos puſiones, quos infirmior ætas necdum communi catechiſmo initiauerat, tamquàm agnellos conglobabat in gregem: tum ſingulos diligenter Crucis ſalutare ſignum manu figurare docebat: deinde omnium animis

mis sanctum Dei timorem atque odium peccati, rationibus ad eorum captum accommodatis, altissimè insculpere nitebatur: postremò dispertitis munusculis hilares dimittebat. Erga vetulos vetulasque idem præstabat, eorum stupiditatis insulsitatisque numquàm pertæsus.

Eodem quoque salutis Indorum studio impulsus, sollicitudinem suam in alia multa eorum adiuuandorum subsidia deriuauit. Diuino cultui promouendo quid non excogitauit, aut non perfecit? Sacratiora per annum festa celebrabat insigni apparatu. Symphoniacis describebat ipse indefesso labore tabulares canticorum notas; hortabatur verbis, & appositis ciborum lautitiis ad strenuè canendum excitabat: denique modulatè concinentibus præibat, modos manu temperans, vt inter discipulos magister. Quoscumque enim hîc musicos præstantissimos habemus, erudiuit ipse: præsertim Stapuanos, è quibus in alias Reductiones sparsi, qui eam artem docerent. Præterea in locupletandis sacrarum ædium vestiariis singularem operam impendit. Præsertim verò eius Reductionis, cui ab Apostolis inditum nomē, Hierophylacium tantâ sacrorum ornamentorum copiâ instruxit, vt nulli harum prouinciarum sacrario sit posthabendum. Biennium est, cùm de cælo

lo

lo tacta ædes oppidi Apostolorum deflagrauerat. Tum ipse nouam opere firmo instaurare adorsus, tam copiosam lignariæ materiæ & tegularum apparationem congessit, vt breui rediuiua fabrica de integro steterit. Vtebatur autē Indorum ministerio eâ cautione & solertiâ, vt eorum ingenitæ lentitudini neque nimiùm vrgendo tædium crearet, neque indulgentiâ foueret socordiam.

Porrò tanta animi contentio in alienæ salutis procuratione, perfectionis propriæ studio detraxit nihil. Feruidus aliis, sibi ardebat & Deo: illudque asceticæ sapientiæ placitum frequens meminerat & memorabat libens; Vt instrumentum ab artificis manu seiunctum nihil quidquam operis elaborat, ita neque operarium apostolicum quidquam posse efficere fructuosi, nisi bonorum omnium Auctori ac principio adhærescat: eam autem coniunctionem in assiduâ cum Deo congressione positam esse. Nulla vnquam vis aduersæ valetudinis ei vel minimam consuetæ meditationis partem eripuit. Si stato tempore diuinarum rerum commentationem prætermittere iustæ caussæ subegissent, quamprimùm posset, eam iacturam sollicitè sarciebat, vel coram augustissimo Sacramento, vel in cellulâ; semper, si per vires liceret, in genua subsidens.

Quidquid

Quidquid à necessariis occupationibus superforet otij, id omne in cælestibus cum Deo colloquiis transigebat, abdens se in cubiculi secretum, foribus fenestrisque opertis, vt per corporeæ caliginis silentia animi lucem affluentiùs hauriret.

Quotidie ad aras immortali victimâ & litabat ipse, & litanti socio ministrabat: sic geminati sacrificij adeò cupidus, vt si peregrè prodeundum esset, socium ad rei Diuinæ horam præueniendam hortaretur, ne tanti boni expers abiret. Solennes sacræ psalmodiæ preces non nisi locis ab interpellatore vacuis recitabat: numquàm aliena vel verbulo obiter interfatus, nisi grauis caussa imperaret. Vsitati cum Deo colloquij fouebat ardores piorum librorum crebrâ lectione, præsertim diuinarum Scripturarum, in quibus erat versatissimus, & commentarioli Thomæ à Kempis de Imitatione Christi.

Sanctissimam dignamque Dei Genitricem præcipuo cultu prosequebatur, eamque bonam Matrem suam solebat appellare. Huic singulis diebus, in templo, simul cum Indis Mariano sodalitio adscriptis, coronam ex Angelicarum salutationum decadibus pertexebat. Hanc ita adamabat medullitus, vt ad omnem cubiculi egressum aut ingressum & salutaret venerabundus, &

maternæ

maternæ ipſius clientelæ ſe peramanter commendaret. Huius in laudes omnia templi ornamenta, notoſque Guacanicæ linguæ lepores ac delicias congerebat. Huius cauſsâ ſanctiſſimum ipſius Sponſum ter maximum Patriarcham Ioſephum, Sanctoſque progenitores Ioachimum & Annam colebat impenſiſſimè.

Aſſiduam cum Deo coniunctionem ac rerum cæleſtium commentationem voluntariâ ſenſuum corporis, & contumacium animi affectionum coërcitione firmabat. Nullum vnquam ſabbathi diem ſine ieiunio præteriit. Condimentis, quæ palato placitura putabat, affusâ frigidâ, demebat saporis gratiam. Mellita ſalgama, & quidquid ſaccharo conditum eſſet, admixto ſale corrumpebat. Etſi clarè oculis videret, tamen puluiſculum his regionibus familiarem, ex lapide contuſo, quem vocant Petram Lipis, mordaci acrimoniâ pungentem, quaſi purgandis luminibus iniiciebat, vt quod aliis pro medicamento eſt, ſibi verteret in tormentum. Amariſſima quæque circumferebat ore, dentibuſque diu terebat. Extra ſolitas prandij cœnæque accubationes omni potione temperabat: aut ſi quid in merendâ guſtaſſet, dormitum ibat incœnatus.

Iam verò veſtium vſus omniſque domeſticæ ſupellectilis ratio inopi congruens

 perpe-

perpetuum generosæ paupertatis tropæum erat. Vilissima quæque vindicabat sibi. Lectulum operiebat eodem stragulo, quo per annos complures gloriosæ memoriæ Athleta Christi P. Rochus Gonsalez fuerat vsus, trito laceroque. Eius indusia toties reconcinnata, tot laciniis segmentisque constabant, vt lintei, ex quo primitus confecta fuerant, pars nulla posset à reliquis internosci. Intimæ autem vestes omnino pannuciæ, vix centonibus dignæ: quibus se nihil vnquam pauperius, ne dicam mendicius, vidisse affirmabat vnus è nostris.

At commotionum animi compressio, quam interiorem mortificationem vocamus, in Adriano fuit admiranda. Biliosæ temperaturæ suæ vehementiores impetus ita domefecerat, vt naturæ ingenio pituitoso esse videretur. Quod si fortè acrior indoles subito procursu in immoderatius quidpiam erumperet, colligebat se perceleriter, atque omissâ inquieti animi perturbatione, vtilitatem è defectu capiens, altiùs in sui notitiam despectumque descendebat, nihil sibi ex se inesse intelligens præter meram infirmitatem ac miseriam: tum ipso lapsu factus cautior ac vegetior, tollebat animos, & ad virtutis absolutionem consectandam se alacriùs incitabat. Si quem à rectè cœptis desciuisse audiebat, id sibi ad

clariorem

clariorem propriæ imbecillitatis cognitionem putabat esse documento: casibusque alienis miseranter ingemiscens, diuinæ benignitati gratè referebat acceptum, quòd eius ope staret in gradu.

Domini sui gloriæ, non suæ, sincerè atque ardenter studebat. Nihil illi potius quàm latere, despici, ignorari; laudari autem non minùs acerbum, quàm superbis vituperari. Votorum illi summa, vitam eius absconditam esse cum Christo in Deo. Sententiam alienam semper lubens anteposuit suæ. Vti regebat suauiter atque amanter, ita regentibus vicissim parebat demississimè, eorumque seu iussa, seu consilia, conquisitis rationibus tuebatur.

Prudentiâ excelluit in primis. In grauioris cuiusque negotij deliberatione, rationum momenta in vtramque partem commentabatur, tùm diligenter perscripta æquâ iudicij lance ponderans, enixè petitâ Diuinæ lucis ope, quid esset optimum factu maturè statuebat; posteà tam strenuus in exequendo quàm fuerat in consultando consideratus & grauis. In leuioribus autem & quotidianis negotiis suscipiendis, oculos attollebat in cælum, priùs quàm agenda decerneret. Nulli consilium dedit, nihil operis inceptauit, numquàm legere quidquam aut scribere est aggressus, non præ-

missâ adoratione Numinis, postulatione cælestis auxilij, & consiliorum omnium in Diuinæ gloriæ scopum conuersione. Quod quidem eo tenore vitæ & sanctæ assuetudinis constantiâ factitabat, vt esset omnibus admirationi iuxtà atque exemplo: verè vir interior, Deo plenus, & operum spiritali succo refertorum effector. Verè ex eorum numero, qui Optimo Maximo Conditori holocausta medullata indesinenter offerunt; dignusque cuius sanctam vitam sancta mors exciperet, atque obedientiæ & caritatis sacrificio consummaret.

Ante geminum mensem quàm excederet è viuis, visum est Reuerendo Patri Prouinciali, Stapuanæ Reductionis Indos è sedibus suis noxij cæli vitio infestis ad salubriora loca transferendos. Visum item ad eam migrationem incolis suadendam, necessariam esse Patris Adriani notam prudentiam, auctoritatem, eloquentiam. Is itaque actutùm imperata facturus ex Vragai Stapuam versùs iter intendit, quamuis inualido corpore, & iam febriculæ principiis malè affecto. Adueniens illuc, ineunte anno 1651 multos Barbarorum centenarios grassantibus morbis stratos, ipse languidus solari, & quocumque poterat subsidio procurare cœpit: vsque dum exhaustis viribus Antecineralium penultimo die, acerrima

rima eum febris & copiosus sudor inuasit. Nec propterea labefactari potuit, aut incepto absistere inuicti viri constantia: donec primo quadragenarij ieiunij die, cùm illud solemne carmen audisset, Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris; supra modum debilitatus sacrificare non potuit, & ad eius solatium atque auxilium, è viciná Reductione vnus è nostris Sacerdos accurrit. Sequenti deinde Feriâ sextâ, pridie quàm moreretur, Diuino Eucharistiæ pane refici gestiens, eum ad se in cubiculum afferri non est passus; sed seruum Domino occurrere, non Dominum seruo par esse dicens, lectoque ægrum corpusculum ducens, ad templum vsque reptauit, vt Seruatoris præsentiâ conuiuioque foueretur: id animo propositum habens, vt illud opere præstaret, quod toties summo affectu inter sacrificandum pronuntiauerat: Domine non sum dignus, vt intres sub tectũ meum.


Tandem postero die, qui fuit Februarij vigesimus quintus anni 1651, cælesti viatico pastus, & sacro ad supremam luctationem oleo inunctus, postquàm dixisset, nullo se animi angore sollicitari, & sancto diuini amoris dolore, omnes vitæ anteactæ noxas esset execratus, placidissimè conquiescens, ad laborum suorum remuneratorem abiit. Eius obitum simul inaudiuerunt Indi, effu-

ſi in gemitus & lamenta, communis parentis deſiderium illis vocibus teſtabantur: nos igitur deſeruit ille Pater noſtri amantiſſimus, ſalutis animarum noſtrarum tam cupidus, corporum etiam tam maternam curam gerens? Ille tam munificus in donis, tam potens oratione, tam eloquens in ſuggeſtu? Neque verò nos minor ægritudo inceſſit, ex iacturâ ſocij tam beneuoli, operarij tam Apoſtolici, viri denique tanto virtutum omnium exemplo ſpectabilis. At vos, Patres Europæi, illacrymate nobis, & tam egregij Fratris veſtri benè merito ſpiritui æternas lauros, ſi quidem iam earum compos factus eſt, gratulamini. Sin eas, ob humanæ maculæ reſiduum quidpiam, necdum conſecutus eſt, conſuetis ſuffragiis accelerate. Ex Paraquariâ. Menſe Martio, anni 1651.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.




*Impreſſum cum Facultate, & legitimâ approbatione.*


BIBLIOTECA